





6/ 464.

1737 5

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE

VALIDA ILLATORVM
CONFESSIONE

A
M A R I T O
FACTA

QVAM
PRAESIDE

HENRICO BROKES

IVRIVM DOCTORE

FAVTORE ET DOCTORE SVO PIE COLENDO
IN ILLVSTRIS AD ALBIM ACADEMIAE

AVDITORIO IVRIDICO

D. NOVEMBR. cId Id CC XXXVII

PVBlice VENTILANDAM

PROFONIT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LVNIZ

STOLBERGA-CHERVSCVS

VITTEMBERGAE

TYPIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII

ACAD. TYPOGR.



404



M. A. P. T. O. (mirrored text)

VALIDA B. I. A. I. O. K. V. M. C. O. N. (mirrored text)

FESSIONE A. M. A. R. I. T. O. F. A. C. I. A. (mirrored text)

H. E. N. R. I. C. O. B. R. O. N. K. E. S. (mirrored text)

H. A. L. V. M. D. O. C. T. O. R. (mirrored text)

AT. T. O. R. U. M. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)



Q. U. I. B. U. S. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

IN. T. E. R. (mirrored text)

4 Ps.



DISSERTATIO
DE
VALIDA ILLATORVM CON-
FESSIONE A MARITO FACTA.

§. I.



S ulla unquam est sententia, quae,
neglectis in iure fundatis regulis,
unanimum fere doctorum con-
sensum habet, sane ea est, qua
confessionem illatorum, a marito
factam, pro irrita ac inuiti de-
clarant. Siue MASCARDVM de
Probat. Vol. 1. conclus. 566. siue ME-
NOCHIVM de *Praesumpt. l. 3. prae-*
sumt. 13. siue CARPZOVIUM ad *P. I. Const. 28.* siue
A 2 BER-



4 DE VALIDA ILLATORVM CONFESIONE

BERLICHIVM *P. 1. Concl. 65.* siue SCHNEIDEWIVM ad §. 29. *Inst. de action.* siue COLERVM de *processu executiu. Part. 3. c. 1. n. 98.* siue GALLIVM *libr. 2. obseru. 81.* siue RICHTERVM de *iure & privilegiis creditorum cap. 3. sect. 1. n. 26.* siue RIVINVM ad *Ord. Proc. Saxon. tit. 43. enunc. 5.* siue LVDOVICI in *der Einleitung zum Concurs-Proceß c. 6. §. 5.* siue alios confilas, omnes uno fere ore affirmabunt, confessionem mariti nullam fidem, auctoritatemque habere. Alii cum MYSINGERO *centur. 1. obseru. 61.* addunt, auream esse hanc opinionem, et communiter a doctoribus receptam, eandemque ubique seruari.

§. II.

Ipsæ, data occasione, in ueritatem huius communis sententiæ inquirere studui, atque animaduerti, eandem cum regulis iuris nequiquam cohaerere. Operæ pretium esse, iudico, si hisce meditationibus indulgens hoc, quem suscipio, labore demonstrarem, ualidam esse illatorum confessionem, a marito factam. Quo maiori utilitate hocce iuris caput in foro singulis diebus sese commendat; eo maiorem ueniam mihi datum iri, spero, confidoque.

§. III.

Nomine illatorum ueniunt ea bona, quæ uxor marito intulit. Hæc sunt uel dotalia, uel paraphernalia. Receptitia bona ex ea ratione remoueo, quia uxor ea marito non infert, sed suæ ipsius dispositioni

ni quoad proprietatem, usumfructum et administrationem referuat.

§. IV.

Dotalia bona sunt, quae uxor marito speciali dotis nomine infert. Horum maritus fit dominus, ita tamen, ut eadem, soluto matrimonio, uel in specie, uel quoad aestimationem restituantur. *l. 31. ff. solut. matrim.* Paraphernalia sunt, quae uxor marito, praeter dotem, infert. *l. 8. C. de pact. conuent.* Horum maritus est legitimus administrator. *l. u. C. de pact. conuent.*

§. V.

Apparet, uxorem illata, siue sint bona dotalia, siue paraphernalia, repetere posse. Haec repetitio in iure nostro est maxime fauorabilis, ita, ut uxor intuitu dotis tacitam hypothecam una cum iure praelationis, et quidem iure ciuili prae omnibus hypothecis tam, expressis, quam tacitis, *l. 12. pr. §. 1. C. qui potior. in pignor. N. 97. c. 2. Nou. 109. c. 1. iure Saxonico prae solis tacitis hypothecis anterioribus; P. 1. Const. El. Sax. 24.* intuitu paraphernalium uero tacitam hypothecam absque iure praelationis habeat. *l. fin. C. de pact. conuent. Ord. P. S. tit. 43. §. Was aber.*

§. VI.

Vxor, illata repetitura, factam illationem probare debet. Illatio bonorum facti est. Ea, quae sunt facti

5 DE VALIDA ILLATORVM CONFessione

facti, non praesumuntur, sed indigent probatione. Hinc illatio probatur. Idem illud partim in *Const. El. Saxon. 28. P. I.* his uerbis: so viel sie des erweisen kan, partim in *Ord. Pr. Saxon. tit. 43. §. 1.* his uerbis: so viel sie dessen erweisen können, inculcatur. Quae cum ita sint, uxori, in concursu creditorum illata sua indicanti, probatio illatorum per sententiam hac fere formula solet iniungi:

Würde N N. die fol. liquidirte Posten mit deutlicher Anzeigung der eigentlichen Zeit, wenn sie solche dem debitori communi inferiret, binnen Sächsischer Frist mit Vorbehalt des dem Litis Curatori zustehenden Gegen-Bewei- ses, Eyd- Delation und anderer rechtlichen Nothdurfft behörig erweisen; So erget wegen derselben Location oder sonst ferner, was recht ist.

§. VII.

Probatio illatorum propter fauorabilem illorum causam est fauorabilis. Inde circa probationem illorum non adeo rigoroſe erit procedendum. *CARP. zov. P. 1. const. 24. defiu. 81.* Hinc fit, ut, si unum alterumue circa probationem illatorum deficiat, uxori praestatio iuramenti suppletorii per sententiam iniungatur. De eo in Saxonia Electorali, moto creditorum concursu, eo minus dubitandum, quo magis per *N. P. S. O. tit. 41. §. 4.* creditores ad iuratum crediti confirmationem admittuntur, si modo aliqualem demonstrationem crediti praemisierint.

§. VIII.

407.

§. VIII.

Probantur illata per testes. Hi circa probationem plenam sint omni exceptione maiores. Interim testes non omni exceptione maiores circa probationem illatorum admittuntur, hoc euentu, ut foemina in supplementum iuret. Sic frater uxoris testimonium illatorum perhibere potest. MASCARD. de probaz. Vol. 1. concl. 568. CARPZOV. P. 1. const. 28. def. 81. Imo iure Lubecensi parentes quoque illatorum possunt esse testes. Docet hoc *artic. 12. l. 1. 2. 5.* ubi haec leguntur: Ehrliche Bürger, besessen und unbesessen, können Brautschaz bezeugen, jedoch so fern ein öffentlich Verlöbniß gekaltet worden ist. Desgleichen mögen auch den Brautschaz bezeugen helfen der Vater dem Sohne, oder der Tochter: Hinwieder auch der Sohn dem Vater oder der Schwester, doch so fern, daß sie kein gesamt Gut mit einander haben: also auch werden zu Zeugen zugelassen Ohmen und Bettern.

§. IX.

Probantur illata per documenta. Pro his militat et ueritatis, et solennitatis praesumptio. Inde eadem, si nulla falsitas aperte doceri possit, plenam fidem faciunt.

§. X.

Probantur illata per iuramenti delationem, si modo is, cui fit delatio iuramenti, rerum gestarum notitiam

titiam habeat. Inde foemina, probationem illatorum susceptura, in concursu creditorum per *N. P. S. O. rit. 41. §. 4.* litis curatori iuramentum deferre nequit. Melius ergo erit, si foemina, deficiente alia probatione, talibus utatur praesumptionibus atque coniecturis, quae dignae videntur, ut praestatio iuramenti foeminae iniungatur.

§. XI.

Quid vero iudicandum erit de confessione ipsius mariti? Eadem uel ore proponitur, uel in scriptis. Iam quaeritur: an confessio, ore proposita uim legitimi testimonii, confessio, in scriptis proposita, uim legitimi documenti habeat, ita, ut huic confessioni sit credendum? Ita iudico.

§. XII.

Equidem intuitu heredum omnes fere consentientes habeo, cum affirmant, confessionem illatorum, a marito factam, heredes ad praestanda illata obligare. Addunt rationem, quia heres, in iura defuncti succedens, factum defuncti praestare debet. At enim uero haec ratio confessionem mariti non reddit ualidam. Quid? si illatio re uera non fuerit facta. An sola mariti confessio, si cum heredibus agatur, ea propter plenam fidem habet, quia heres factum defuncti praestare debet? Nullatenus. Heres succedit in ius defuncti, modo ius reale adsit. Heres facta defuncti quidem in actibus ultimae uoluntatis simpliciter,

citer, siue eadem uera sint, siue falsa; in actibus uero inter uiuos eadem non aliter, quam si uera sint, praestat. Sic heres praelegatum dotis soluit, licet nihil dotis nomine fuerit illatum; §. 15. *Inst. de legat. e contrario* debitum, a defuncto affirmatum, non aliter soluit, quam si reale subit debitum. Vera potius ratio haec est, quia pro confessione mariti militat ueritatis praesumptio. Inde confessio illatorum, a marito facta, intuitu heredum erit ualida.

§. XIII.

Idem illud in foro seruatur. Apud CARPZOVIUM *P. 1. const. 28. defin. 77.* ita pronunciatum legitur: Es wäre denn, daß in gegenwärtigem Fall kein concursus creditorum vorhanden, sondern bemeldte eure Pflege-Frau ihr eingebracht Gut allein von des verstorbenen Mannes Erben fordern thäte &c. Auf solchen Fall wird ihr dasselbe von den Erben billig entrichtet. Apud RICHTERVM *l. c.* ita pronunciatum deprehenditur: Die weil euer Vater seinem Weibe, euer Stieff-Mutter, ein Leib-Geding aufgerichtet, und mit seiner Hand bekennet, daß er dotis loco 800 fl. empfangen, ihr auch ihn geerbet, so ist berührte Wittue fernern Beweises befreuet. Imo *Ordinat. lud. Magdeburg. c. 50. membr. 2.* eadem inculcat his uerbis: Wie dann auch die Erben, welchen des Schuldners Bekantniß zu widersprechen nicht gebühret, sich mit dergleichen exception nicht zu behelffen haben.

B

§. XIV.

§. XIV.

Heres ex ista confessione, a marito facta, eatenus obligatur, quatenus eadem falsitatis argui non potest. Errant, qui cum BARTHIO in *Hodegez. Förens. c.3. §. 24. sub lit. a.* confessioni maritali ab heredibus simpliciter credendum esse iudicant. Heres debitum, a defuncto affirmatum, non aliter soluit, quam, si reale subsit debitum. (§. 12.) Inde heres auditur, si probare possit, illata non fuisse numerata, uel confessionem ui, metu, importuniusue sollicitationibus fuisse extortam.

§. XV.

Video, BARTHIVM *l.c.* heredibus facultatem impugnandi confessionem mariti eo casu tribuere, si laesio legitimae liberorum inde oriatur. At enim uero, aut confessio illatorum, a marito facta, est uera, aut falsa. Si uera, prouti in dubio praesumitur, (§. 12.) nulla adest laesio legitimae, cum legitima non intelligatur, nisi deducto omni aere alieno, *l. 8. §. 9. l. 15. ff. de inoffic. testam.* et sic illata uxoris bona ante omnia sint detrahenda. Sin falsa, iam per se heredibus probatio contrarii competit, (§. 14.) et sic eadem limitatio erit superflua.

§. XVI.

Intuitu creditorum omnes fere dissentientes habeo, cum affirmant, confessionem illatorum, a marito factam,

Etiam, intuitu creditorum, moto concursu, esse irritam, esse inutilem. (§. I.) Addunt, foeminam, sola mariti confessione circa probationem illatorum subnixam, ius praelationis haud habere, imo tam pessimae conditionis esse, ut ne chirographariis quidem creditoribus et personalem actionem habentibus praeferatur. BERLICH. P. 2. *concl. 65. n. 49.* Idem illud ex schola iuridica in forum abiit. Meminit CARPZOVIVS l. c. *def. 72.* sententiae, ita sese habentis: Daß gedachtes Peter Großbachs Eheweib durch ihres Ehe Mannes bloße Aussage alleine ihr Einbringen und Ehe-Geld gnugsam nicht erwiesen, derowegen sie sich auch vor den andern Gläubigern einiger Erstigkeit nicht anzumassen hat. Scabini Lipsiensis m. Jun. a. 1703. apud RIVINUM *ad tit. 43. enunc. 5.* sic responderunt: Hat Titius bey seinem Leben die Ritter-Güter Tusculanum und Cumanum, so unter dem Anterte N. gelegen, und zwar jenes eigenthümlich, das letztere hingegen nur Pachtweise besessen, auch auf diesen wesentlich gewohnet, und allda sein Leben beschlossen, da den seine Wittib alles so fort gebührend versiegeln lassen, jedoch einige mobilien, als Wagen, Pferde, das Vieh, silbern Geschirr, und einige andere Sachen, zu sich genommen, und ist davon des iuris retentionis sich zu gebrauchen, und solchemnach den Gerichts-Tax an ihrer bey ihrem habenden Einbringen und Forderung abfürken zu lassen gemeinet; Nachdem nun nach seinem Absterben zu dessen Verlassenschaft ein concursus creditorum entsethet, und ermeldte des Titii Wittib ihr Einbringen an

Ehe: Geld und Paraphernalien anderergestalt, als durch des verstorbenen Schuldners Hand, zu bescheinigen nicht vermag; So will anigo: ob diese ihre Forderung dadurch zur Gnüge dargethan, und an denen angemasten Stücken des iuris retentionis sich gebrauchen, auch solche auf Abschlag angeregter ihrer Forderung annehmen könne? Zweifel vorkommen. Ob nun wohl angeführet werden möchte, daß die meisten von denen Gläubigern ihre Posten ebenfalls nur durch Ticii Hand bescheinigen können, die Frau wegen ihres Ehe: Geldes und anderer illatorum in des Mannes Vermögen einen sonderbahren Vortzug und das ius retentionis hat, also in gegenwärtigem Fall erwehnten Ticii nunmehrige Wittib dergleichen sich ebenfalls zu erfreuen, und auf Abschlag ihrer praetension obberührte Stücke zu sich nehmen mögen; Dennoch aber dieweil eines debitoris Ehe: weib bey entstandenem concursu ihr Einbringen durch dessen Bekänntniß regulariter, wann es die andern creditores urgiren, so schlechterdings nicht erweisen mag, zwischen ihr auch und denen übrigen Gläubigern disfalls ein merklicher Unterscheid ist, indem bey diesen keine so starke praesumption, daß die Verschreibung aus Liebe gegen sie ausgestellt, als bey jener vorhanden, und das ius retentionis, so eine Wittib in ihres Mannes Verlassenschaft wegen ihrer erweislichen illatorum hat, ihr keinesweges die Gewalt giebet, sich derer in der Erbschaft befindlichen Sachen nach Gefallen auf Abschlag anzunehmen. So ist auch obbenannte des Ticii Wittib, wosern es die andern

andern Gläubiger suchen, vor allen Dingen das angegebene Ehe-Geld und anderes Einbringen nach Befinden besser, als geschehen, zu beschleunigen, auch das zu sich genommene Silber-Werck und die übrigen Stücke, oder doch allensals den rechten Werth dafür in dem concurs wieder auszuantworten schuldig, und solche sogleich auf Abschlag derer selben zu behalten nicht befugt. *Liceat uero mihi contrarium statuere, atque hoc specimine demonstrare, confessionem illatorum, a marito factam, per se esse ualidam.*

§. XVII.

Valida est confessio illatorum, a marito facta, siue eadem ore, siue in scriptis fiat. Circa confessionem mariti, ore propositam, nota, quemlibet praesumi bonum. Sic plerumque credendum est, eum, qui partis dominus est, iure potius suo re uti, quam furti consilium inire. *l. 51. pr. ff. pro soc.* Sic uerberans communem seruum actione iniuriarum non conuenitur, cum iure domini id fecerit. *l. 15. §. 36. ff. de iniur.* Praesumptio bonitatis excludit omnem malitiae suspicionem. Inde fraus atque dolus non praesumitur, adeo, ut is, qui dolo dicit factum aliquid, docere dolum admissum debeat. *l. 18. §. 1. ff. de probat. l. 6. C. de dol. mal.* Firmata bonitatis praesumptione, atque doli fraudisque suspicione remota, maritus illata confrendo non censetur dolose agere. Finge, maritum diu ante motum concursum coram uiris integrae fidei

quantitatem illatorum fuisse confessum. Quis, quaeso, istum uirum propter confessionem doli, fraudisque argueret? Absit, ut ita statuamus, ut potius, si aliter regula, qua unusquisque bonus praesumitur, uera sit, confessioni mariti eousque credamus, donec aperta malitiae uestigia exhibeantur.

§. XVIII.

Circa confessionem mariti, in scriptis propositam, nota, pro instrumento militare ueritatis praesumptionem. Nam quodcunque scriptum est, quasi actum, uiderur etiam actum, §. *ult. Inst. de fideiuss.* Sic instrumento, quod praesentiam partium contrahentium indicat, creditur, §. *12. Inst. de inur. stipul. l. 14. C. de contrahend. stipul.* Sic instrumento, factam praedii donationem indicanti, fides habetur, *l. 18. C. de probat.* Praesumptio ueritatis, pro instrumento militans, excludit falsitatis suspensionem. Inde is, qui instrumentum falsitatis arguit, manifestissimis probationibus falsum probare debet, §. *12. Inst. de inur. stip. l. 14. C. de contrab. stip.* Posita ueritatis praesumptione, atque falsitatis suspensione remota, maritus illata per instrumentum confitendo censetur uera confiteri.

§. XIX.

Instrumentum, confessionem debiti continens, plenam fidem habet. Clara sunt legis uerba, quae in *l. 23. C. de non num. pecun.* hoc exprimuntur modo: *Generaliter sancimus, ut, si quid scriptis cautum fuerit pro qui-*

quibuscunque pecuniis ex antecedente causa descendentibus, eamque causam specialiter promissor edixerit, non iam ei licentia sit, causae probationem stipulatorem exigere, cum suis confessionibus acquiescere debeat: nisi certe ipse e contrario per apertissima rerum argumenta, scriptis inserta, religionem iudicis possit instruere, quod in alium quemquam modum, et non in eum, quem cautio perbiberet, negotium subsecuturum sit. Nimis enim indignum esse iudicamus, quod sua quisque uoce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. De ueritate huius rei eo minus dubitamus, quo magis pro instrumento militat ueritatis praesumptio. (§. 18.) Instrumenta, quibus maritus illata confitetur, confessionem debiti continent. IUSTINVS generaliter sancit, ut ista documenta ualeant. (h. §.) Inde scriptura mariti, confessionem illatorum continens, excipi nequit, et sic eadem plenam quoque fidem meretur.

§. XX.

Quilibet praesumitur bonus. (§. 17.) Maritus ergo, instrumentum conscribens, censetur uerum, non falsum; instrumentum propter bonitatis praesumptionem conscribere. Inde scriptura mariti, confessionem illatorum comprehendens, ualet.

§. XXI.

Apocha dotis acceptae, post confectionem dotalium instrumentorum uxori a marito data, tantam fidem meretur, ut exceptionem non numeratae dotis exclu-



excludat. IUSTINIANVS in *l. 14. §. 1. C. de non num. pec.* idem his ordinat uerbis: *ideoque sancimus, instrumento quidem depositionis certarum rerum, uel certae pecuniae, securitatibusque publicarum functionum, siue in solidum, siue ex parte soluta esse conscribantur, illis etiam securitatibus, quae post confessionem dotalium instrumentorum de soluta dote, ex parte uel in solidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratae pecuniae opponi.* En fidem, quae confessioni, a marito in apocha expressae, tribuitur.

§. XXII.

Maximus est dotis fauor, illiusque causa semper et ubique praecipua est, cum publice interfit, dotes mulieribus conseruari. *l. 1. ff. sol. matrim. dos quemadm. per.* Inde iura mulieribus ratione dotis singulare priuilegium concesserunt. (§. 5.) Inde in ambiguis pro dotibus respondere melius est. *l. 70. ff. de iur. dot. l. 85. pr. ff. de diu. reg. iur. l. 25. C. ad SCr. Vellei.* Hic dotis fauor, quo in ambiguis pro dote ui legalis dispositionis est respondendum, iubet, ut confessionem illatorum, a marito factam, attendamus, neque illam simpliciter pro irrita atque inutili declaremus.

§. XXIII.

Summa, quae in iure spectatur, *l. 90. ff. de diu. reg. iur.* aequitas asserto nostro inest. Finge, uxorem bona marito re uera intulisse, eandem uero omnia pro-

probatione, quae regulariter propter sanctam uitae coniugalis fidem negligitur, destitui. Sola adest mariti confessio. An haec ualebit? Iniquum sane esset, si hanc confessionem reiiceremus, atque foeminam, habita maiori fraudis, quam bonitatis, maiori falsitatis, quam ueritatis ratione, iure suum recuperandi priuaremus.

§. XXIV.

Motus creditorum concursus naturam ipsius rei a deo non alterat, ut obligationes, per se ualidae, iam sint inualidae. Principale uerum inter creditorem atque debitorem commune geritur, et sic reliqui creditores factum, inter creditorem atque debitorem commune gestum, inuertere non possunt. Hi potius causam habent a communi debitore, et sic illius iure uti debent. *l. 13. §. 1. ff. de acqu. uel amitt. poss. l. 23. ff. de manumiss.* Appareret, creditores, moto concursu, non esse personas plane extraneas. Taceo, creditores confessionem debiti, reliquos creditores concernentis, agnoscere debere. Cur non et confessionem debiti, uxorem concernentis? Singularis malitiae suspicio, quam multi sibi ratione uxoris fingunt, regulariter non est capienda. (§. 17.)

§. XXV.

Valeat mariti confessio, siue eadem sit iurata, siue iniurata. Simplex mariti confessio iam sufficit, et sic multo magis confessio, iuramento confirmata.

C

Con-

Contrariae sententiae fautores ne hoc quidem admittunt, sed iuratum quoque mariti confessionem simpliciter remouent. BERLICH. *P. I. concl. 65. n. 47.* RICHTER. *de iure & priuileg. cred. c. 3. sect. 1. n. 27.* COLER. *de proc. execut. P. 3. c. 1. n. 108.* Addit CARPZOV. *l. c. def. 73.* responsum huius tenoris: Ob ihr gleich mit eures Mannes Bekänntniß bescheinigen können, daß ihr ihme 877. fl. 20. Gr. 3. Pf. würcklichen zugebracht, und derselbe euer Ehe-Mann hierüber, oder auch ihr solches endlichen erhalten würdet ic. So hätte ihr doch dadurch euer Vorgeben und die reale illationem, wie recht, nicht erwiesen, noch beigebracht. *Licet enim maritus, utar uerbis SCHNEIDEWINI ad §. 29. Inst. de action. decies iuret, se dotem accepisse; tamen hoc iuramentum ipsum tantum ligat, & ad tertium non extenditur; est enim quiddam personale, quod ad tertias personas non extenditur.* At enim uero creditores non sunt personae plane extraneae, (§. 24.) et sic ipsi quoque iuramentum, a communi debitore praestitum, attendere debent. Suspicio falsitatis circa mariti confessionem, iuramento confirmatam, eo minus locum inuenire potest, quo magis iuramento confirmatum pro rei ueritate haberetur. *l. 5. §. 2. l. 11. §. 3. ff. de iureiur. l. 14. §. 3. C. de non num. pecun.*

§. XXVI.

Valet confessio mariti, siue maritus confiteatur, se dotem ab extraneo recepisse, siue confiteatur, se dotem a parentibus uxoris accepisse. Dissenientes qui.

quidem limitare solent, atque confessionem mariti admittunt, si dos ab extraneo profecta dicatur, eandem vero negligunt, si dos a parentibus profecta indicetur. CARPZOV. *l. c. def. 79.* SCHNEIDWIN. *ad ff. 29. Inst. de action.* At enim vero utrobique cessat falsitatis suspicio, et sic utrobique confessio mariti pondus habet.

§. XXVII.

Valet confessio mariti, siue reliqui creditores eadem communis debitoris confessione, siue alia ratione credita sua probent. Sunt, qui confessionem illatorum, a marito factam, probent, si reliqui creditores itidem per solam communis debitoris confessionem sua credita demonstrant, cum sic par sit conditio dotis atque creditorum; eandem vero damnant, si reliqui creditores alia ratione iudici de suis creditis fidem faciant. BERLICH. *P. I. concl. 65. n. 51.* SCHNEIDWIN. *ad §. 29. Inst. de action.* RICHTER. *l. c. n. 31.* Addit CARPZOV. *l. c. def. 76.* responsum, quod ita sese habet: So ist die Wittib ihr Einbringen anderer gestalt, denn durch des Ehemannes Bekänntniß zu erweisen schuldig. Es wäre dann, daß auch die andern Gläubigere zu Bescheinigung ihrer Forderungen nichts, als des Schuldners Hand und Siegel vorzulegen hätten, auf solchen Fall wären sie auch von der Wittiben andern Beweis zu fordern nicht befugt. Non opus est hac exceptione, cum sola illa-

torum confessio, a marito facta, iam per se firma ualidaque nitatur auctoritate. (§. 17-23.)

§. XXVIII.

Valeat confessio illatorum, a marito facta, siue eadem ante inſtum matrimonium, siue post contractum matrimonium data fuerit. Existunt, qui illo casu confessionem mariti pro ualida; hoc casu pro irrita habent. MENOCH. *l. 3. praef. 13. n. 14.* BERLICH. *P. 1. concl. 65. n. 44.* COLER. *de proc. execut. P. 3. c. 1. n. 104.* GAIL. *obf. 81. n. 3.* Non admitto istam limitationem, cum suspicio fraudis atque falsitatis post contractum quoque matrimonium abesse praesumatur. Inde confessio mariti, post tempus initarum nuptiarum data, fidem meretur.

§. XXIX.

Valeat confessio mariti, siue eadem aliis circumstantiis, fidem conciliantibus, circumscripta sit, siue non. Dantur, qui illo casu confessionem tolerant; hoc uero casu eandem respuunt. MENOCH. *l. 3. praef. 13. n. 19.* BERLICH. *P. 1. concl. 65. n. 58.* RICHTER, *l. c. n. 29.* Simplex mariti confessio iam per se uim probandi habet, (§. 17-23.) et sic aliis circumstantiis non est opus, licet non negem, maiorem, concurrentibus aliis adminiculis, adesse probationis gradum. Sic maior adest probationis gradus, si, praeter confessionem mariti, iurata unius testis, illationem

tionem docentis, adfit depositio, si illorum, quorum maxime interest, subscriptio accedat.

§. XXX.

Valet confessio mariti, siue creditores eidem contradicant, siue non. Reperiuntur, qui illo casu confessionem mariti reiiciunt, hoc uero casu eandem admittunt. BERLICH. *P. I. concl. 65. n. 57.* RICHTER. *l. c. n. 33.* GAIL. *obs. 81. n. 4.* Valor cuiusdam rei non a sola unius, alteriusue contradictione, sed ab interna rei qualitate atque indole dependet. Iam confessio mariti per se est ualida, (§. 17-23.) et sic eadem per solam creditorum contradictionem haud infirmatur, nisi talia proponantur argumenta, quae falsitatem confessionis luculenta ratione produunt.

§. XXXI.

Valet confessio mariti, siue illata, quorum fit confessio, respiciant bona mobilia, siue immobilia. Existunt, qui illo casu confessionem mariti aspernantur, hoc uero casu eidem locum relinquunt. MENOCH. *l. 3. praef. 13. n. 25.* BERLICH. *P. I. concl. 65. n. 59.* Utrobique cessat falsitatis suspicio, et sic utrobique confessio mariti ualebit.

C 3

§. XXXII.

474.

§. XXXII.

Valet confessio mariti, licet eadem augmentum dotis concernat. *MENOCHIVS l. 3. praef. 13. n. 27.* hanc confessionem remouet, quia eadem in fraudem creditorum facta praesumitur. At enim uero nego, fraudem regulariter praesumi, (§.17.) et sic quoque confessio mariti, augmentum dotis respiciens, in dubio fraude caret.

§. XXXIII.

Valet confessio mariti, licet uxor apochae, a marito datae, insimul subscripserit. Solet plus uice simplici uxor apochae, a marito datae, subscriptionem suam una cum subscriptione curatoris accomodare. Iam quaeritur: an eo casu dos ad maritum peruenisse credatur? Ita iudico. Nam mulieris persona ideo uidetur saltem inserta, ut appareat, mulieris nomine et ad eius commodum dotem fuisse exsolutam. *CARPZOV. l. c. def. 82.* Inde minus recte ex tali instrumento probatur, uxorem, non maritum, dotem accepisse.

§. XXXIV.

Iuuabit, ipsas dubitandi rationes, quibus dissentientes pro destruenda mariti confessione utuntur, attendere, atque uidere, quantum ponderis iisdem insit. Primum idque praecipuum sententiae suae fundamentum

damentum in suspicione falsitatis ponunt, qua maritus illata in fraudem creditorum confiteri censetur. At enim uero fraus non praesumitur. (§. 17.) Haec potius ab allegante probari debet. (§. eod.) Inde maritus quoque censetur fraudis expers, (§. 20.) et sic illius confessioni citra ullam fraudis suspensionem statim.

§. XXXV.

Dices, falsitatis suspensionem haud negari posse, cum maritus sit quadammodo testis in propria causa. Eo ipso, quo maritus confitetur, sibi multum ab uxore fuisse illatum, eo ipso intendit, ut uxor multum in fraudem creditorum lucretur, quo non uxor modo, sed et ipse maritus deinceps commode sustentari possit. Aut maritus tempore factae confessionis iam aere alieno fuit obrutus, aut non. Si hoc, maritus non tam pro se, quam contra se confitetur, cum eo ipso maritus sese ad multum illatorum nomine restituendum obliget, neque ulla subsit causa, quae eundem ad confitendum id, quod non accipit, moueat, et sic hoc casu falsitatis suspicio cessabit. Sin illud, non ualebit confessio, cum infra docere animus sit, falsitatis suspensionem utique adesse, quoties maritus tempore factae confessionis aere alieno iam est obrutus.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Regeres, clandestinis ac domesticis fraudibus facile quiduis pro negotii opportunitate confingi, uel id, quod uere gestum est, aboleri posse. *l. 27. C. de donat.* Potest. Sed an illud praesumitur? Nego.

§. XXXVII.

Prouocant ad *l. 27. ff. de probat.* in qua haec leguntur: *Qui testamentum faciebat ei, qui usque ad certum modum capere potuerat, legauit licitam quantitatem: deinde ita locutus est: Titio centum do lego, quae mihi perzulerit, quae ideo ei non caui, quod omnem fortunam et substantiam, si quam a matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione. Item eidem Titio reddi, et solui uolo de substantia mea centum quinquaginta: quae ego ex redditibus praediorum eius, quorum ipse fructum percepi, et distraui, item de calendario, si qua a matre receperat Titius, in rem meam conuertit. quaero, an Titius ea exigere potest? Respondit, si Titius supra scripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit, exigi. uidetur enim, eo quod ille plus capere non poterat, in fraudem legis haec in testamento adiecisse. Tenor huius legis eo tendit, ut confessio debiti, in testamento ratione personae incapae facta, censeatur fraudulenta. Idem in *l. 37. §. 6. de legat. 3.* constitutum legitur. Cum enim persona incapax ex testamento nihil capere possit, illud, quod in fauorem istius personae expressum, in*

in fraudem legis actum uideretur. At enim uero illud ad nostrum casum applicari nequit. Vxor non est persona incapax, sed talis persona, quae partim ex testamento quid capere potest, partim illata bona iure meritoque repetere potest. Inde maritus colore isto non indiget, et sic confessio illatorum, a marito facta, ab omni fraude aliena censetur.

§. XXXVIII.

Alegant *l. i. C. de dote caur. non numerar.* quae ita sese habet: *Dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit, et ideo non ignoras, ita demum te ad petitionem dotis admitti posse, si dotem a te re ipsa datam probatura es.* Subscribo, firmiter persuasus, dotem sola scriptura non constitui, sed realem traditionem requiri. Alia autem quaestio est, annon illatio dotis ex scriptura, factam dotis numerationem testante, probari possit? Hoc utique affirmo, cum pro instrumento militet ueritatis praesumptio, (§. 18.) neque illud in allegata lege negatur.

§. XXXIX.

Eadem sunt, quae circa *l. g. pr. C. de bon. proscripte.* moneo, in qua circa repetitionem dotis non illa dos, quae aliquoties inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, sed quam uxor se corporaliter tradidisse docuit. Aliud est, dotem sola scri-
D ptura

ptura constituere; aliud, dotis traditionem ex scriptura, illationem testante, probare. Prius asseritur; posterius non memoratur. Inde scripturae, dotis illationem testanti, creditur, ita tamen, ut, cum sola scriptura non constituat dotem, sed realis traditio, probatio in contrarium admittatur.

§. XL.

Afferunt, confessionem illatorum, a marito factam, donandi animo esse factam. Hoc nego. Animus donandi non praesumitur. *l. 25. ff. de probat.* Quid? quod heredibus liceat exceptionem non numeratae dotis confessioni illatorum, a marito factae, opponere. *l. fin. cum Aush. C. de dot. caus. non num. Nou. 100. c. 2.* Sane, si confessio illatorum esset donatio, eadem, ceu morte confirmata, ab heredibus retractari non possit. *l. 32. ff. 2. l. 59. ff. de donat.* Colligo, animum donandi circa confessionem mariti non subesse.

§. XLI.

Corruente animo donandi, (§. 40.) corrui dubium, quo affirmant, creditores certare de damno ui-tando, uxorem autem de lucro captando. Nego, uxorem certare de lucro captando. Sane confessio mariti lucrum non arguit, cum illa pro uera habeatur, (§. 17-23.) neque animus donandi praesumatur. (§. 40.)

§. XLII.

§. XLII.

Monent, confessionem mariti ex nimio erga uxorem amore factam praesumi. Amor erga conjugem in dubio non est adeo extendendus, ut ille cum alterius coniugis onere atque detrimento sit coniunctus. Inde maritus, licet conjugem diligat, non censetur sese onerare atque ad dotem non acceptam sese obligare uoluisse, (§. 40.) et sic confessio ex nimio erga conjugem amore orta non iudicatur. Quodsi casum, quo maritus tempore factae confessionis aere alieno iam est obrutus, respicias, consentio, sed de eo, infra adducendo, iam nondum loquor.

§. XLIII.

Instant, priuatam scripturam non probare contra tertium, et sic confessionem mariti haud nocere creditoribus. Respondeo, priuatam scripturam non probare contra tertium, plane extraneum, cum res, inter alios acta, tertio nullum praesudicium inferre possit; probare tamen contra tertium, causam ab agente habentem. Iam uero ipsi creditores causam a communi debitore habent, et sic illius iure uti debent. (§. 24.) Inde creditores confessionem mariti, ad instar aliarum obligationum, reliquis creditoribus datarum, quae eodem modo sunt scripturae contra tertium, ratam habere debent.

D 2

§. XLIV



§. XLIV.

Firmata sententia, qua confessio illatorum, a marito facta, subsistit, iudico, probationem, qua duo testes, omni exceptione maiores, confessionem illatorum, a marito ipsis factam, iurato afferunt, plenam fidem, auctoritatemque habere. Simili ratione iudico, probationem, qua uxor illata sua apochis, a marito datis, nota facit, plenam fidem mereri. Crescit probationis gradus, si apochae illae non uxori, sed parentibus ipsius tempore nuptiarum, aut factae numerationis fuerint datae.

§. XLV.

Annon forsan, probatione per confessionem mariti suscepta, uxor in supplementum iurare debet? Sunt, qui ne confessionem quidem illatorum, a marito factam, admittunt, licet uxor in supplementum iurare uelit. *MYSING. cent. 1. obs. 68. n. 5. ANTON. FAB. in Cod. libr. 4. tit. 1. def. 4. n. 7.* Ipse aliter sentio, atque iudico, ne iuramento quidem suppletorio opus esse. Confessio mariti iam per se plenam fidem habet, et sic non est opus iuramento suppletorio.

§. XLVI.

Porro apparet, uxorem, illata per confessionem mariti probantem, ius praclationis pariter ac tae citae hypothecae retinere. Hoc ius illi, qui confessionem

tionem mariti aspernantur, uxori adimunt, et ita adimunt, ut uxorem ne chirographariis quidem creditoribus praefendam esse iudicent. (§. 16.) Confessio mariti subsistit, (§. 17-23.) et sic ius praelationis pariter ac tacitae hypothecae remanebit saluum.

§. XLVII.

Noli tamen existimare, me confessioni illatorum, a marito factae, plus iusto indulgere. Scias, me eidem nullam plane fidem habere, si aperta falsitatis atque malitiae occurrant indicia. Praecipua sententiae, a me defensae, fundamenta praesumptione bonitatis, quae pro quolibet homine, ac praesumptione ueritatis, quae pro instrumentis militat, nituntur. (§. 17-18.) Praesumptio bonitatis atque ueritatis eliditur, nullumque confessio mariti pondus habet.

§. XLVIII.

His addo aliam limitationem, qua confessioni illatorum, a marito factae, non credo, si eadem illo tempore, quo maritus, aere alieno obrutus, iam non amplius soluendo fuit. Hoc tempore maritus illata bona tam in coniugis, quam in sui ipsius fauorem censetur confiteri, eo fine, ut habeant, unde semet sustentare possint. Inde confessio, illo tempore, quo maritus non amplius est soluendo, facta, plena est suspicionis falsitatis atque fraudis, et sic omni destituitur auctoritate. Ad hunc casum plera-



30 DE VALIDA ILLATORVM CONFESIONE A MARITO FACTA.

que dubia, quae formantur, applicari possunt. Neque interest, utrum maritus ante motum concursum, uel moto iamiam concursu illata confessus fuerit. Viroque casu ista confessio non ualet, cum sufficiat, si maritus non sit amplius soluendo.

§. XLIX.

Ex iis, quae adduxi, tenor sententiae meae fat apparebit. Scil. confessioni illatorum, a marito factae, regulariter est standum, (§. 18-23.) nisi uel aperta falsitatis adsint indicia, (§. 47.) uel confessio eo tempore, quo maritus non amplius est soluendo, data fuerit. (§. 48.) Durum est, simpliciter confessionem mariti reiicere; durum quoque, simpliciter eidem confidere.

§. L.

Vitandae litis causa melius esse, noto, si parentes, uel uxor numerationem illatorum coram testibus suscipiendam, illosque testes apochae, a marito datae, subscribendos curent. His peractis, maior fides illationi bonorum habetur, et minor falsitatis suspicio excitatur.

Wittenberg, Diss. 1737

W 20




f

56.







6 / 464

1737 5

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE

VALIDA ILLATORVM
CONFESSIONE

A
M A R I T O
FACTA

QVAM
PRAESIDE

HENRICO BROKES

IVRIVM DOCTORE

FAVTORE ET DOCTORE SVO PIE COLENDO
IN ILLVSTRIS AD ALBIM ACADEMIAE
AUDITORIO IVRIDICO

D. NOVEMBR. cId Id CC XXXVII

PVBlice VENTILANDAM

PROPNIT

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LVNIZ

STOLBERGA-CHERVSCVS

VITEMBERGAE

TYPIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII

ACAD. TYPOGR.

